



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1566 usque ad annum 1572

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118634

§. 78. Rupellensium Deputatorum postulata ad Regem.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67213](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67213)

in re respondeant, atque etiam præcur-
rant, ejusque fidem, ac conscientiam
administrata sincere justitia apud Deum
exonerent.

Sæcul. XVI.
A.C. 1571.

§. LXXVIII.

*Rupellensium Deputatorum postulata
ad Regem.*

Rupellenses Deputati, qui semper in
Aula hærebant, plura a Rege pe-
tierunt, & quidem I. Ad Senatum re-
vocetur Hospitalius Cancellarius II. ex
Aquitania Villarius Marchio, qui Mont-
lucio succedebat, remittatur III. Lotha-
ringius Cardinalis, & Guisus Dux ab
Aula, & negotiorum administratione
amoveantur IV. Condæo Principi Va-
leria arx reddatur V. præcipuæ senten-
tiæ, decreta, atque judicia, quæ belli
tempore in Protestantes Religionis odio
facta fuerunt, rescindantur, VI. dam-
nati bonis, famæ, & honoribus resti-
tuantur, VII. quæcunque monumenta
earum rerum superessent, ad sancendam
præteritorum oblivionem aboleantur.

Thu. l. 50.

Postremam hanc petitionem Dele-
gati præcipue ob illum eventum, qui
ante tres annos acciderat, urgebant,
ubi Philippus Gastineus dives mercator
Parisiensis, de cetero vir probus, po-
stulatus fuerat, quod conventus noctur-
nos in ædibus suis contra regia edicta

Sæcul. XVI.
A. C. 1571.

habuisset, ibique cœnam more inter Protestantes recepto celebrasset: porro ob id ille ad mortem damnatus est cum Ricardo fratre suo: Nicolaus vero Croquetus locuples item mercator ipsius sororius, quod conventui interfuisset, eadem pœna affectus est, bonis pariter omnibus fisco addictis: iusuper instigantibus factiosis ad sententiæ hujus severitatem simul additum, ac decusum, ut Gastinei domus in Sandionysiana platea, in qua conventus habitus fuisset, solo æquaretur, & area publico cederet, in qua ad perpetuam rei memoriam ex publicatis Gastinei bonis monumentum erigeretur, quo sententia in ipsum lata æri incisa transeuntibus legenda proponeretur.

§. LXIX.

Gastineus pristinis honoribus restitutus.

Thu. l. c.
Dupleix hist
de France t.
3. p. 780.

Rupellenses Delegati vehementer instabant, ut hoc iudicium contra Gastineum, & Croquetum irritum declararetur, ac pyramis in domus illius area erecta, quæ crux Gastinea vulgo appellabatur, ad abolendam facti memoriam dirueretur, necnon defunctus hac ratione pristinis honoribus redderetur. Horum petitio Regi æqua quidem videbatur, verum illi, qui seditiosorum